







1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*



17, 16 13

DISPUTATIO DECIMA SEXTA  
EX EPISTOLA  
PAULI AD ROMANOS,  
proponens ἀνάλυσις capitis de-  
cimi quarti.

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia*

PRÆSIDE DAVIDE  
RVNGIO SACRÆ THEO-  
logia Doctore & in Academia VViteber-  
gensi Professore, in Collegio disputati-  
onum Theologicarum privato de-  
fendet 20. Augusti,

M. SAMUEL VVICHELMAN,  
Lunenburgensis.



VVITEBERGAE,  
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.



  
**A M P L I S S I M O,**  
P R V D E N T I S S I M O A T Q ; C O N  
S V L T I S S I M O V I R O, D n, G E O R G I O  
Borcholten, inclutæ Lunæburgensium urbis  
consuli dignissimo, in S. S. Baptismi devotâ ad-  
ministratiōe Propatri suo venerandissimo,  
nec non Mecœnati colendissimo, debitæ grati-  
tudinis ac singularis observantiæ ergo, ἀνακεφα-  
λαιωτικῆν hanc XIV. Cap. Epistolæ ad Rom :  
ἐν ὅλῳ, atq; seorsim τῷ ζητήματι, unum de usu &  
abusu τῶν ἀδιαφόρων, alterum de univer-  
sali efficacîâ & fructu obedientiæ  
atq; mortis Christi, religiosè  
consecrando officioh  
simè dedicat &  
offert,

**M. SAMUEL VVICHELMAN.**



CAPUT XIII.



Hoc capite proponit Apostolus gravissimam commonefactionem de recto usu τῶν ἀδιαφόρων, quæ ita vult tractari ab omnibus, ne ulli detur offendiculū. Discernit enim Christianos ac fideles in firmos & infirmos, & utrosq; monet, qua ratione res mediæ & sua natura liberæ ita sint tractandæ, ut p̄ Deum habeant propitium & mutua charitatis vinculum non disrumpatur: Est namq; etiam hoc non postremum opus Christianæ charitatis, fratrem non judicare, neq; illi offendiculum ponere, in quod impingens in æternæ damnationis discrimen conijciatur. Inclusa est itaq; totius capitis tractatio his duabus propositionibus:

Continuatio doctrinæ de charitatis operibus.

I. Christiani in usu libertatis Christianæ rerumq; mediarum non debent se mutuò judicare. Summa capitis.

II. Fortes in fide seu rectè intelligentes doctrinā de libertate Christiana non debent infirmos præposterò libertatis abusu offendere.

Cogitanda est autem ἀφορμὴ hujus tractationis:

Erant Christiani ejus temporis partim ex Iudaismo partim ex gentilismo conversi, qui etsi in doctrina Ecclesiæ consentiebant, tamen in observatione rituum externorum alij alijs erant expeditiores in dediscendis patrijs moribus: Qui enim rectè intelligebant libertatem Christianam, hi alios infirmos præ se contemnebant, vel etiam eosdem usu libertatis suæ graviter offendeabant: Qui non

Contentio adia phoristica in Ecclesia.





rectè intelligebant Christianæ libertatis rationem, priores  
judicabant: Itaq; cum utring; peccaretur, Apostolus ut-  
tramq; partem de charitatis Christianæ legibus admonen-  
dam censuit.

## P A R S P R I M A.

1. Propositio generalis præmittitur ab Apostolo: *Infirmus*  
*quis.* *infirmus* *quis.* *infirmus* *quis.* *infirmus* *quis.* *infirmus* *quis.*  
mum in fide assumite. τὸν ἀδυνάτου vocat non eum qui de  
doctrina Christiana non rectè sentit, & manifestos erro-  
res cum fundamento pugnantes tuetur, sed qui in omnibus  
articulis Christianæ pietatis rectè est institutus, verum  
in πρᾶξι Christianæ libertatis nondum benè versatus, ita  
ut nesciat, quid integra conscientia sibi in quibusdam re-  
bus agere liceat, quid non: Talem προσλαμβάνουσιν non mo-  
do non repellite à societate Ecclesie, sed etiam vobis ad-  
Aet. 18. jungite & invitare: Est enim προσλαμβάνουσιν non modo  
vers. 26. spontè venientem excipere, sed etiam non venientem  
sponte invitare & pellicere, ut Aet. 17. vers. 15.

Additur epexegetis propositio, tum prædicati, tum  
subjecti. Quomodo enim assumendus sit infirmus osten-  
dunt verba καὶ ἐξ διακρίσεως διαλογισμῶν non ad dyjudica-  
tiones disputationum.

Hanc phrasin variè explicant interpretes: Alij ad  
infirmos referunt, ne illi dyjudicent firmiorum disputationes  
de usu rerum mediarum: Sed quia alloquitur Aposto-  
lus eos qui rectius erant informati, ideo eos monet, ut ita  
infirmos assumant, ne conscientias eorum disputationibus  
perplexis de Christianæ libertatis usu turbent, sed sine  
tali

*infirmi nō  
sunt tur-  
bandi pro-  
pter adia-  
phora.*



tali dīcāgīōē eorundem praxin ferant, quoad à Deo majori luce agnitionis fuerint donati.

Deinde: vers. 2. & 5. subiectum propositionis illustrat duobus exemplis infirmorum, quorum aliqui de ciborum usu, nonnulli de dierum observatione diversam à firmioribus Christianis sententiam sequebantur: Quare inter se confert utriusq; partis judicia: Nam ex gentibus conversi & firmiores eorum, qui ex Iudæis accesserunt, censebant sibi licere vesci omnibus, etiam ijs quæ lege Mo- sis erant prohibita: Sed infirmi olera malunt manducare, quam delicias lege vetitas sectari. Consimiliter hi iudicant diem aliam alia sanctiorem & singulari religione servandam esse, secundum Legis Mosaicæ præscriptum: Illi æquè æstimant omnes dies, nullo servato discrimine, ratione conscientie.

Tertiò: Subjungit utriq; exemplo præcepta & regulas utrisq; servandas: Is qui manducat, non manducantem non spernat, eò quod videt eum adhuc non didicisse per Christum omnes leges Mosaicas antiquatas, omneq; discrimen ciborum ac dierum esse sublatum. Qui verò non manducat, manducantem non iudicet, quasi violatæ legis divinæ reum. Unusquisq; in suo sensu sit certus, ne quid contradicente aut dubitante conscientia faciat in hisce rebus libertati Christianæ subiectis.

Quartò: Adduntur argumenta contra temeritatem utriusq; partis, tam firmiorum alios contemnentium, quam infirmiorum alios condemnantium. Est itaq; propositio disputationis hæc: Christiani in usu rerum liberarum non debent se mutuò iudicare:

A 3

Ratio.



Ab inho-  
nesto.

Rationes sunt: Primò. Tu quises, qui alienum  
servum judicas: Domino suo stat aut cadit: Te-  
merarium esse dicit de aliorum conscientijs iudicium sibi  
sumere, cum illud non hominibus competat, sed Deo. Imò  
in communi vita nemo iudicat alienum servum, præterquã  
proprius ejusdem Dominus: Sunt autem omnes Christia-  
ni servi Dei & Christi, Ergò à nemine præterquam solo  
Deo conscientia eorum sunt iudicandæ. Secundò.  
Deus illum assumpsit. Hæc ratio incrementum habet  
prioris: Iudicare eum, qui à nobis iudicari non debet, val-  
de temerarium est: Sed condemnare eum, quem Dominus  
in societatem Ecclesiæ assumpsit, & Spiritus S. gratia est  
Ab inutili. dignatus, planè est impium. Tertiò. Potens est Deus  
statuere & confirmare in fide. Ergo præcipiti iudicio non  
est condemnandus. Quartò. Singuli Christiani tam fir-  
mi quàm infirmi omnia referunt ad gloriã Dei, sive mans-  
ducent sive non, sive dies observent sive non: Ergo non  
sunt temerè illorum conscientijs laquei iniiciendi.

Ab inho-  
nesto.

Hoc argumentum illustrat Apostolus insigni ambli-  
ficatione, qua digreditur in locum communem de vita &  
mortis nostræ scopo ac fine: Cum enim non simus nostri  
juris, sed simus Domini, tam creationis jure, quàm redema-  
tionis, qua Christus sanguine suo nos sibi emit in peculiũ,  
consequens est, ut omnia nostra Deo impendamus, sive  
enim vivimus illi vivimus, omnia ad illius gloriam refe-  
rentes: Sive morimur Domino morimur, animam nostrã  
in illius sinum deponentes: Pij enim mortui non in nihilum  
abeunt, sed sunt ac manent Domini sui Iesu Christi,  
qui

Insignis  
locus de  
vita &  
mortis no-  
stræ scopo.



qui ideò mortuus est & resurrexit, ut vivorum ac mortuorum dominium singulari merito acquireret, & potenti efficaciam in nos exerceret.

Quintò: Christiani omnes fratres sunt, non tam ratione generali, qua omnes homines tanquam ex uno Patre Adamo geniti quodammodo fratres appellari non possunt, <sup>Christiani fratres,</sup> quàm speciali significato, dum omnes ex eodem fonte baptismi & eodem Spiritu S. regenerati, eidem capiti Christo inserti, communia in ipso bona & hereditatis aeternae jus expectant. Ergo à mutuis judicijs & temerarijs condemnationibus, cum fraternam dilectione pugnantibus debent abstinere: Frater enim fratrem neq. contemnere, neq. condemnare debet.

Sextò: Omnes homines citati ad tribunal Christi <sup>periculis</sup> pro se reddaturi sunt Deo rationem, non pro alijs: Ergo <sup>loso.</sup> abstinere debent ab alijs temerè judicandis, & de seipsis solliciti esse, quomodo sua facta Deo probare velint. Antecedens illustratur Prophetico testimonio Esa. c. 45. v. 23. Vbi Iehova dicit: Omne genu sibi flectendum esse: Quod dictum de Christo, dum interpretatur Apostolus, <sup>Christus</sup> ipsum Iehovam verum Deum esse, & constitutum <sup>verus Deus.</sup> iudicem totius mundi agnoscit ac profitetur. Christo itaq. genua flexuri sunt pii cum exultatione & gratiarum actione, Impij & reprobi cum trepidatione & horribili expectatione <sup>Quomodo impu genua flectant</sup> ultimae sententiae: Illi gloriam misericordiae & <sup>Deo.</sup> divitias bonitatis illius sunt predicaturi: Hi vel in viti Dominum suum superbe à se contemptum cogentur agnoscere.

SECVN.



SECUNDA PARS.

*Infirmi nō sunt offēdendi.* Transit Apostolus ad alteram propositionem explicandam, qua hortatur fortes in fide, ne usu rerum externarum, infirmiores offendant. Appellationes græcæ πρὸς κοινὴν καὶ ἐκείνων ἀλλοίωσις desunt & sunt à peregrinantibus, quibus tendiculae aliæq; obstacula ponuntur, ut subitò corruant. Declaratur propositio quadam ὑποπόσει objectione: Nullæ res per se communes vel immundæ. Ergo usus earum debet esse liberrimus. Respondet Apostolus primò, per concessionem antecedentis: Deinde significat rebus immundiciem accedere per accidens, si videlicet quis easdem iudicat esse illicitas, etsi sua natura tales non sunt, & tamen vel ipse eas usurpat contra conscientiam: vel ab alijs usurpari videt, eoq; offenditur: In his enim casibus res per se licitæ sunt alicui illicitæ.

*Res per se mundæ fiunt immundæ per accidens.*

Rationibus propositio confirmatur pluribus.

*Argumenta confirmationis.*

*Apostata à Christo redempti.*

1. Ab honesto: Qui cibo fratrem suum contristat, non ambulat secundum charitatem: Poterat enim ipsi in re tam vili gratificari & conscientia illius parcere: Est autem Christianis secundum charitatē ambulandum. Ergo.
2. Turpe est cibi causa hominem sanguine & morte Christi redemptum perdere: Is verò qui usu rerum licitarum temerario offensus omninò à Christiana religione deficit & periculum æternæ damnationis incurrit, sanguine Christi est redemptus: Ergò.
3. Ab inutili: Christiani modis omnibus cavere debent, ne bonum suum, hoc est, doctrinam Evangelij blasphemijs hominum exponant: Id autem fit, quando temerario usu rerum



rerum per se licitarum infirmiores offenduntur: Fugien-  
da igitur isthæc licentia.

4. Res istæ de quibus agitur, cibus, potus, distinctio tem-  
porum &c. non pertinent ad regnum Dei, sed ad hoc se-  
culum: Nec in istarum rerum usurpatione consistit sum-  
ma Christianismi, sed vera regni Dei membra sunt justitia, pax, & gaudium in Spiritu S. In his qui servit Christo, placet Deo, & pijs hominibus magis probatur, quam qui usu τῶν ἀδιαφόρων libertatem suam temerè cum infirmiorum offendiculo ostentat. Huic argumento annectitur conclusio: Sectemur itaq; ea, quæ ad mutuam pacem & ad ædificationem faciunt.

Regnum  
Dei quid?

5. Turpè est propter escam rem longè vilissimam destruere opus Dei: Sed pijs tum creationis, tum regenera-  
tionis nomine sunt Dei opus: Ergo propter escam non  
sunt aliquo offendiculo contristandi aut omnino eversa-  
tendi.

Christiani  
sunt opus  
Dei.

Huic argumento subjunguntur tres occupationes. Quarum prima est ex versu 14. repetita: Omnia, inquit, sunt munda, sed quia quidam cibi ab homine judicantur immundi, & tamen dubitante aut reclamante conscientia manducantur, accidit ut is tali usurei per se licite gravissimè polluat.

Secundò: Obijciebant fortiores in fide, hoc est, de usu rerum mediarum & libertate Christiana rectè institu-  
ti: Si hæc ratio Paulina valere deberet, tunc neq; vinum  
bibere neq; carnes comedere liceret: Fieri enim posse, ut  
etiam horum usu aliquis offendatur.

Etia à li-  
citis cibus  
in gratia  
infirmorū  
abstinen-  
dum.

B

Respons



Respondet Apostolus per concessionem: Si talis casus se offerat, ut esu carniū vel potu vini frater offendatur, aut infirmetur, verbi gratia, si carnes sint immolatæ idolis gentium, & vinum libationibus Ethnicorum consecratum, tum bonum esse ab illarum rerum usu omnino abstinere.

*Utrum ex fide liceat quidvis facere?*  
Tertio prætendebant hi libertini se quicquid hujus facerent ex fide facere. Non itaq; peccare: scire enim se Deum usu rerum terrenarum moderato non offendere. Respondet Apostolus: Tu fidem habes h. e. scientiam libertatis Christianæ, & certitudinem conscientie in usu rerum mediarum: Bene sanè, mentem hanc retine, & Deo probato: Beatus enim est, qui non judicat seipsum, quiq; non dubitante conscientia usurpat id, quod approbat. Qui autem discernit, & incertus de conditione rei alicujus licite sit, an illicita, & nihilominus dubitante conscientia eandem manducauerit, damnatus est, quia non ex fide manducat: Quicquid autem non ex fide fit peccatum est: Quæ sententia universas Papistarum ἰδεολογησκειας uno impetu evertit, omniaq; Ethnicorum opera etiam laudatissima rejicit.

Hæc est ἀνάλυσις textus, ex quo duo tantummodo capita instituto nostro συζητητικῶς seruiantia breviter excutiemus: Reliqua ἠθικὰ καὶ παρὰ μυστικὰ ex aliorum tractationibus petenda censemus. Primum itaq; de Adiaphoris & eorum usu atq; abusu, tum de Mortis Christi universali merito efficacia dicturi sumus.

DE



## DE ADIAPHORIS.

### I.



Æpe turbavit Ecclesiam Dei certamen Adiphoristicum: Nam & hic Pauli textus ostendit multas fuisse condemnationes inter Christianos propter usum τῶν ἀδιὰ φόρων. Et de observatione Paschatos tristissimæ fuerunt contentiones inter Ecclesias orientis & occidentis tempore Victoris Papæ, qui propter diem Paschatos aliâ ratione celebratum, Orientalium Ecclesiarum fratres insigni temeritate non modò judicavit, sed etiam anathemate percussit.

*Pontificis  
Romani  
insana temeritas.*

### II.

Quæ & quantæ fuerint disputationes & hostiles digladiationes Theologorum in Germania circa tempora publicati. Interim de usu τῶν ἀδιὰ φόρων, de lintea Veste, de cereis alijsq; externis ceremonijs ex historia illorum temporum liquido apparet.

### III.

Nostro quoq; tempore renovata est contentio de adiphoris, sed planè alia ratione: In illis enim disputationibus inter se de usu rerum mediarum disceptarunt ejusdem confessionis socij: Sed nunc litem nobis movent de adiphoris Confessionis Augustanæ hostes, & jam pridem communi Ecclesiarum judicio damnati hæretici Calviniani: Illi igitur ut fratres, hi ut hostes fuerunt & sunt tractandi.

*Nova contentio de adiphoris.*

### IV.

Principiò sciendum est, non agi hic de rebus divinitus mandatis, fidem aut bona opera concernentibus, quæ inter adiphora Epicurei solent referre, quibus perinde est si pietatem ac charitatis officia exerceant, si non.

*Removen-  
tur peregrine  
questiones*

### V.

Neq; disputatur hoc loco de ijs rebus, quæ divina auctoritate sunt prohibita, qualia sunt peccata contra omnia Dei præcepta, quorum plurima homines profani inter adiphora numerant, imprimis verò ebrietatem, commestationes, fraudes mercatorias, luxum & licentiam, & quæ sunt hujus generis. Sunt qui simplicem scortationem etiam inter adiphora referre non erubescunt: Sed cum de his & similibus manifestæ

*Mundus  
quæ judicet adiphora.*



festæ extent prohibitiones in lege morali, Epicuræ profanitatatis est ea numero τῶν ἀδιαφόρων ascribere velle,

V I.

*Quid sint  
adiaphora*

Sed in hac doctrina consideratur earum rerum usurpatio, quæ in Novo Testamento neq; expressum habent mandatum, nec expressam prohibitionem, sed libere utentium voluntati & arbitrio sunt relictæ, Unde dicuntur ἀδιαφόρα, & res indifferentes.

V II.

Fuerunt quidem in V. Testamento multa divinitus mandata ac prohibita, quæ à Iudæis sine conscientie vulnere negligi aut violari non poterant, Quorum duo genera præcipua recenset hoc loco Apostolus: Discrimen dierum & discrimen ciborum.

V III.

*Ceremonia  
Iudaica.*

Sed si Mosaicas Leges intueare, latissimè videbis adiaphora se extendere, omnesq; Leviticæ sanctificationes lotiones, mundationes, oblationes ac totum ceremoniarum genus in se complecti.

V IX.

Hæ res fuerunt Iudæis in Veteri Testamento divinitus mandatæ, partim propter significationem & commonefactionem de præcipuis beneficijs Messiaë & veris Dei cultibus, partim ut populi istius ad novos cultus gignendos propensissimi ingenium intra hos limites includeretur, & haberet in quo ad defatigationem usq; exerceretur,

X.

*Ceremonia  
alia muta  
ta in vete  
ri Testa  
mento.*

Neq; tamen ita simpliciter ceremonialia fuerunt necessaria, quin moralibus & veris Dei cultibus, nec non necessitati cederent: ut patet ex Davide panes propositionis, quos solis sacerdotibus manducare licebat, in casu necessitatis comedente, Ezechia celebrante Pascha, neq; tempore neq; modo eo, quo erat præceptum à Mose.

X I.

*2. Par. 29.*

Reliquas autem gentes ad Ecclesiæ Iudaicæ confessionem & veri Dei agnitionem accedentes hæ Ceremoniæ non obligabant, nec à Prophetis tale onus impositum est pijs ex gentibus conversis, ut docent exempla Cyri, Darij & Naamanis Syri.

12. Post-



XII.

Postquam autem Christus venit in carnem & V. Testa- *Christus*  
menti vaticinia atq; umbras opere ipso adimplevit, Ceremo- *abolevit*  
niarum Leviticarum necessitas sublata est una cum principali *ceremoni-*  
earundem fine. *as.*

XIII.

Hoc exemplo unico declaratum erit manifestius: Sacrificia  
V. Testamenti significabant venturum aliquem Messiam, qui  
faturus esset victima pro peccatis mundi, immolandus Deo in  
ara crucis. Hoc postquam se ipsa est impletum, sublata est sa-  
crificiorum significatio:

XIV.

Illa enim umbræ fuerunt earum rerum, quarum vivæ  
imagines sunt in N. Testamento. Quemadmodum igitur um- *Heb. 10.*  
bræ pictorum evanescent, quando vivis coloribus imagines *v. 1.*  
exprimuntur: Ita postquam res ipsa opere est impleta, umbræ  
ejus & significaciones evanuerunt.

XV.

Hinc est quod per Christum liberati sunt omnes homines, *Libertas*  
atq; adeo Iudæi quoq; ab observatione ceremoniarum Levi- *humana*  
ticarum, ut earum vel usurpatio vel repudiatio neminem judi *à Lege ce-*  
care possit, *remoniali.*

XVI.

Quia verò multi ex Iudæis conversi ad religionem Chri-  
stianam non poterant hoc capere, nec certò statvere, Ceremo-  
nias Leviticæ in N. Testamento sublatas esse, sed retinebant  
adhuc multa ex veteri consuetudine, præsertim quod ad die-  
rum & ciborum discrimen attinet, quæ Christiani ex gentibus  
conversi negligebant: Hinc ortæ sunt contentiones in Ecclesia  
de usu τῶν ἀδιαφόρων & mutuae censuræ ac condemnationes.

XVII.

Hanc controversiam decidens Apostolus capite præfenti, *Mundis*  
revocat eam ad fontes & ostendit nihil per se esse immundum, *omnia*  
nihil quoq; de hujusmodi rebus in Ecclesia Christiana manda- *munda.*  
tum: Sed omnia esse relicta libertati utentium. Huc pertinent  
testimonia Scripturæ: Matt. 15. Quod intrat per os, non coin-  
quinat hominem: Tit. 1. Mundis omnia sunt munda: 1. Tim. 4.  
Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, si cum gra-  
tiarum





riarum actione sumatur. 1. Cor. 10. Omne quod in macello venditur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.

XVIII.

*Festa in N. Testamentis sunt adiaphora* Eodem tendit sententia Col. 2. v. 16: Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi aut neomeniæ aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum, Corpus autem Christi; Vbi similiter ea quæ præceptionibus Leviticis comprehensa ac Iudæis observatu necessaria erant Apostolus recenset, & Christianos ita ab eorundem observantia absolvit, ut à nemine judicari hoc nomine velit.

XIX.

*Cautè tractanda ceremonia.* Etsi igitur Ecclesia Christiana non potest omnino carere quibusdam externis ritibus; Tamen in eorundem usurpatione cautè illi agendum est, ne vel prava superstitione conscientias astringat, vel perniciofa licentia & temeritate easdem polluat. Quod qua ratione consequi possit, paucis persequemur.

XX.

Ex dictis scripturæ manifestum est Iudaicas ceremonias tanquam umbras reipsa impletas, & jam pridem antiquatas Ecclesiæ obtrudendas non esse Col. 2. Gal. 2. Heb. 9. & 10.

XXI.

*Vsus Cere-  
moniarum.* Ut autem aliquæ sint in Ecclesia ceremoniæ requirit necessitas ordinis & decori, quam Apostolus flagitat 1. Cor. 14. v. 40. Facit quoq; ad disciplinæ conservationem & pacis vinculum tuendum piorum rituum constitutio & dispositio, Verbo Dei consentanea.

XXII.

*Cavenda  
in usu adi-  
aphorum  
I.  
Necessitas.* In illis observandis abesse debet omnis opinio necessitatis absolutæ, quasi simpliciter mandatum sit has illasve ceremonias habere: In his enim Ecclesia Iudicari non debet, Sed quemadmodum Apostolus loquitur, Qui manducat non manducantem non spernat, Et qui non manducat, manducantem non iudicet.

23, Absit



XXIII.

Abſit præterea opinio cultus Dei, quaſi obſervatio exter-  
norum rituum nullo Dei præcepto mandatorum per ſe, ſuaq; *II.*  
natura ſit cultus Deo gratus, aut cultus divini aliqua pars, ſi- *Cultus.*  
cut Phariſæos ſenſiſſe Chriſtus teſtatur Matth. 15.

XXIV.

Præterea excludenda eſt pernicioſa opinio meriti, ſtatu- *III.*  
ens externorum rituum obſervationem mereri ſibi vel alijs *Meritum.*  
gratiam Dei, remiſſionem peccatorum & præmia hujus ac  
futuræ vitæ. Hæc Phariſaica & Papiſtica opinio delet univer-  
ſum Chriſti meritum, & doctrinam de gratia Dei & gratuita  
imputatione juſtitiæ Chriſti per fidem penitus extinguit,

XXV.

Deniq; quod non eſt in omnibus Eccleſijs, vel in una ea- *IV.*  
demq;, perpetuò rerum ejuſmodi conformitas, id neminem de- *Opinio cõ-*  
bet offendere, cum in cujuſq; Eccleſiæ poteſtate ſit, ad utilita- *formitatis*  
tem, commoditatem, decus & ordinem in ejuſmodi rebus ſin-  
gula diſponere atq; ordinare: Nam ut Irenæus inquit: Diſſo-  
nantia jejunijs, non tollit conſonantiam fidei,

XXVI.

Quin etiam eædem res nonnunquam tales ſunt, ut certa *Adiapho-*  
de cauſa in Eccleſia retineri poſſint, ea verò ſublata aut ceſ- *ra mutan-*  
ſante nullo modo ferri debeant. *tur in me-*

XXVII.

Patet hoc ex circumciſione, quæ in primitiva Eccleſia *perhibi-*  
diu retenta eſt ab his, qui erant ex Iudæis converſi, in quo- *tas.*  
rum gratiam Paulus Timotheum quoq; circumcidit, Act. 16.  
v. 3.

XXVIII

Vbi verò Pſeudoapoftoli eandem ut neceſſariam ur-  
gerent & ab omnibus omnino Chriſtianis requirerent: Idem  
Paulus videns hac perſuaſione vim fieri veritati & libertati *Contentio*  
Chriſtianæ graviffimè eandem redarguit Gal. 2. & 5. Et Ti- *de circũ-*  
tum non circumcidit Gal. 2. v. 3. *ciſione.*

XXIX.

Idem Paulus cum Ieroſolymis eſſet, conſulendum cenſuit  
inſir-



1. Cor. 9.  
v. 20.  
¶ 21.

infirmiitati fratrum ex Iudæis conversorum; proinde usus est mandatorum & purgationibus Leviticis, nec non sacrificijs Mosaicis, ac planè Iudæis factus est Iudæus (non opinione ac fide, sed conversatione externa) ut eos lucrifaceret.

XXX.

Sed cum hæc tanquam necessaria requirerent Iudæi, & alios propter usum rerum à Mose prohibitarum, & intermissionem rerum mandatarum judicarent, Apostolus videns libertatem Christianam impugnari atq; everti ejusmodi pravis opinionibus masculè contradixit, ac ne Petro quidem Iudæizanti pepercit, ut testatur Gal. 2. v. 14.

XXXI.

Eadem est ratio Legum de non comedendis idolothytis, deq; suffocato & sanguine, quas Apostoli Act. 15. volunt inculcari gentibus, non tanquam necessariò servandas, sed propter Iudæorum infirmitatem, qui ab illarum rerum usu tanquam re abominabili abhorrebant.

XXXII.

Cautela  
respectu  
objectorū.

Patet hinc in usu rerum mediarum prudenter & cautè agendum esse: Aliter enim tractandi sunt infirmi fratres, qui in religione nobiscum consentiunt, Sed usum libertatis Christianæ nondum plenè intelligunt. Aliter verò manifesti hostes religionis, hæretici Iudei aut similes.

XXXIII.

Hæreticis  
in ceremonijs  
nihil  
est ceden-  
dum.

His quidem in rebus adiaphoris nihil omnino est concedendum. Tentant enim Libertatem Christianam, quam habemus in Christo Iesu, & cum capita religionis hostiliter petant, à ceremonijs initium deformationis ac persecutionis facitare solent.

XXXIV.

Etià Cal-  
viniani  
traditio-  
nes huma-  
nas urgēt.

Tales sunt Pontificij & Calviniani, quorum illi multas res quibus non utimur, nobis ut necessarias obtrudere, hi plurimas quibus liberè utimur, ut prohibitas eripere & abolere fatagunt, cujus generis sunt, Imagines non idolatricæ, Organa musica, Canticiones latinæ, exorcismus in baptismo, altaria, cerei, vestes sacræ &c.

XXXV.

Varisq; vim inferentibus libertati Christianæ, præsentī animo



animo est contradicendum, idq; eo magis cum hoc non principaliter velint, sed corruptelas ac tenebras doctrinae reliquis articulis fidei inferant: Agitur itaq; non de ceremonijs, sed confessione doctrinae, quae simpliciter est necessaria Rom. 10. v. 10. Psal. 116, v. 10. Matt. 10. v. 32.

XXXVI.

Quare non debet eorum exculari facilitas, qui tempore Interimisticarum actionum, cum ageretur de confessione fidei, & Pontificij plerosq; errores suos obtrudere conarentur Ecclesijs Augustanae confessionis, cesserunt Papistis in usu rerum mediarum, & in illorum gratiam multa jam pridem in nostris Ecclesijs antiquata & abrogata in usum revocarunt.

*Interimistica negotia.*

XXXVII.

Calvinianis hoc tempore tumultuantibus abolitione imaginum & altarium, & horribili insania nostras Ecclesias propter usurpationem ejusmodi rerum condemnantibus, opponenda est regula Paulina: Subintroierunt quidam falsi fratres explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutum redigerent, quibus neq; ad horam cessimus subiectione Gal. 2, v. 4.

*Etiā hic agitur casus confessionis.*

XXXVIII.

Præterquam enim non hostes Evangelij confirmantur in execratione & impietate sua, si illis quippiam concedatur, multi quoq; imbecilliores offenduntur, schismata & contentiones de religione seruntur, ac deniq; Chaos malorum inde prodit.

XXXIX.

Quare si Calviniani abjectis erroribus suis de Coena Dominica, de persona Christi, de prædestinatione, de merito Christi, de regeneratione, de Baptismo & similibus ad nostrarum Ecclesiarum orthodoxam confessionem volent accedere, facilis erit ratio componendi controversiam de imaginibus, organis, altaribus. Alioqui nulla potest esse pijs cum isto hominum genere conjunctio: Nulla est enim communio Christo cum Belial, discipulis Christi, cum Sacramentarijs, Satanæ Apostolis.

XL.

Cum illis verò qui in doctrina nobiscum consentiunt, sed

C

usu



*Consenti-  
entes in  
doctrina  
quomo-  
do sint  
tractandi.* v. 13.

vsu rerum mediarum turbantur alia est agendi ratio: Aut enim id faciunt ex animi quadam imbecillitate & errore, Et tum patienter sunt ferendi, nec vsu rerum eiusmodi à quibus abhorrent offendendi, dicente Apostolo: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. 1 Cor. 8.

*Primum  
genus.*

#### XL I.

*Infirmi  
molliter  
tractandi.*

Non enim omnes parem in religionis cognitione progressum faciunt, & magna est vis consuetudinis, vnde Petrum Apostolum in hoc genere rerum hæsitasse legimus, dubitantem videlicet, vtrum omnium animalium vltus concessus esset Christianis, Act. 10, v. 14.

#### XL II.

Tales qui sunt, partim molliter sunt erudiendi, partim sibi sunt relinquendi, nec inquirendum scrupulosè in illorum cognitiones, nec cum eisdem disceptandum, modò nihil faciant quod ad aliorum offendiculum pertineat: Tum enim corripendi sunt, vt Paulus Petrum Iudaizantem inter gentes reprehendit Gal. 2. v. 14.

#### XL III.

*Secundum  
genus ho-  
minum.*

Aut faciunt id ipsum ex hyprocrisi, pertinacia defendendi propositum suum, studio contendendi, aut quocunq; alio animi morbo: Et tum fideliter sunt erudiendi de liberrimo rerum mediarum vsu, & nisi obtemperent grauitè redarguendi, nihilq; faciendum in illorum gratiam, Sicut verbo & facto suo nos docet Apostolus ad Gal. 2, capite.

#### XL IV.

*Quid sit  
abundare  
suo sensu*

Imprimis verò vnumquemq; conscientiae suae rationem habere vult Apostolus, ne quid omnino agat ea contradicente: Nam vt maximè res sit media, eiusq; vsus liberrimus Christianis, Tamen si quis hæc vel aliter habere se erodat, vel de his dubitet, Hunc earundem rerum vsu pollui manifestè testatur. Vnusquisq; enim sensu suo abundet, hoc est, certus sit ex Dei verbo se rectè agere.

45. Postre-



Postremò fines in observatione rerum mediarum ab Apostolo exprimuntur, videlicet, vt omnia referantur ad gloriam Dei, & gratiarum actionem, vt charitas crescat in vtrisque, vt pax & conjunctio sit inter ejusdem fidei & confessionis socios, vt scandala caveantur, ac deniq; conscientis Christiana libertas inconcussa consistat.

## COROLLARIA.

1. *Imagines historicas ornatus & commonefactionis gratia in templis collocare.* Adiaphora sunt.
2. *Mensas lapideas quas vulgò altaria vocamus, in coena Dominice administratione vsurpare.*
3. *Peculiare vestium genus ministris Ecclesie sacraministeria publicè obeuntibus aptare.*
4. *In Eucharistie administratione placentiam integram in frustra minuta distributionis causâ dividere, vel minus aptos panes ad distributionem aptos apponere.*
5. *In Baptismo Exorcismorum lectiones, & crucis signationes adhibere.*
6. *In templo germanicè aut Latinè, voce aut instrumentis musicis hymnos sacros decantare.*

*Hæc & similia qui simpliciter necessariò retinenda, vel necessariò abolenda docent vtrinq; vim libertati Christiane faciunt, & tanquam Pseudodoctores jugo traditionum humanarum nos captivare volentes fugiendi sunt.*



# DE EFFICACIA ET FRU- ctu obedientia & mortis Christi.

## I.

**E**X verbis Apostoli; Noli cibo perdere fratrem pro quo Christus mortuus est, de fructu & efficacia obedientia & mortis Christi quaedam annotanda sunt, tum quia res ipsa dignissima est attentata consideratione, tum quia à Calvinianis meritum Christi profanè abnegatur, tum quia nostris Ecclesiis à maledicis Calumniatoribus insigni vanitate Calviniani errores in hoc doctrinae capite attribuuntur.

## II.

Removen-  
tur quæ-  
siones co-  
gnatae.

Extra controversiam sunt: Primò: Christum non pro suis, sed pro aliorum hominum peccatis passum ac mortuum esse.

## III.

1.

2.

Rom. 5.  
v. 18.

Secundò: Christum patiendo ac moriendo insigne quoddam bonum his pro quibus ista sustinuit acquisivisse, videlicet gratiam Dei & vitam æternam: Ea enim bona primi parentis peccato funditus fuerunt amissa, quæ Secundi Adami beneficio ac merito cumulatissimè sunt reparata.

## IV.

3.

Tertiò: Meritum Christi infiniti esse precij, & sufficere ad omnia omnium hominum peccata expianda, si maximè mille alij essent mundi totidem hominibus, quot hic vnus habet, pleni. Est enim Christi mors non  $\psi\iota\lambda\theta\varsigma\ \alpha\upsilon\theta\eta\omega\pi\alpha\varsigma$ , sed Dei mors, cuius meritum est infiniti valoris.

## V.

Capita  
contro-  
versa.

Sed hæc sunt in quæstione. Primò: De Scopo, intentione ac fine Dei Patris Christum filium suum acerbissimis doloribus ac morte flagellantis, num is tantum voluerit  $\lambda\upsilon\tau\tau\epsilon\upsilon\varsigma$  hoc



hoc pro paucis aliquibus persolvi, an verò pro omnibus hominibus. Secundò : De Christi opere ac factò, num is actum ipso tantum quorundam hominum peccata sanguinis sui profusione expiarit, an verò pro omnium hominum peccatis verè ac re ipsa satisfecerit.

#### VI.

Hæ duæ quæstiones ita sunt cognatæ, ut alterutra demonstrata causa ipsa dicta, & plenè definita sit: Quicquid enim Deus Pater fieri voluit ac decrevit, id omne filius Dei, perfectissimè illius voluntati obediens, expeditum dedit: Neq; quicquam Christus fecit, quod non ex sententia & decreto Dei facere debuerit, sicut ipse testatur Ioh. 5. Opera quæ demonstravit mihi Pater, ea facio.

#### VII.

Est itaq; summa quæstionis controversæ: Vtrum ex sententia Dei Patris Christus pro omnium & singulorum hominum peccatis passiva & activa sua obedientia efficaciter satisfecerit? Nos affirmativam tuemur, eamq; firmis & immotis scripturæ fundamentis inniti intrepidè pronunciamus: Calviniani negativam ita virgent, ut immanè chaos errorum & blasphemiarum in Ecclesiam Christi invehant,

Quæstio  
contro-  
versa.

#### VIII.

Probationem thesæ affirmativæ operosam ac longè repetitam adhibere necesse non est, cum pro ea tam illustria sint testimonia scripturæ, ut nullo colore eludi possint: Qualia imprimis sunt ea, quæ Christum pro omnibus hominibus passum ac mortuum testantur, ut 1. Tim. 2. Unus mediator, Dei & hominum, Homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum ut pro omnibus. 2. Cor. 5. Christus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit: Rom. 5. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius Iusticiam in omnes homines in justificationem vitæ.

Prima re-  
petitio ex par-  
ticulari uni-  
versali.

#### IX.

Nulla nititur autoritate aut specie veri quod Calviniani



particulam vniuersalem intelligunt non de singulis generum, sed de generibus singulorum, vbi enim scriptura non distinguit neq; nos id facere debemus, Nullumq; manifestum testimonium ex scriptura proferri potest, quo hæc vniuersalis particula ita restringatur.

X.

Quo accedunt dicta, quæ Christum pro mundo passum testantur Ioh. 3. Sic Deus dilexit Mundum vt filium suum vni- genitum daret, Ioh. 6. Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Ioh. 1. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.

XI.

Colloq.  
Mompel.  
p. 540.

Impudens est Bezae figmentum statuentis appellatio- ne Mundi per Synecdochen intelligi Electos. Etsi enim non- nunquam istam vocem per tropum vsurpari non inficiamur, tamen sub ea significatione Electos designari tam non est scri- pturæ consentaneum, vt contrarium potius significet, nimi- rum Reprobos & Christi induratos hostes. Ioh. 17. Non pro mundo rogo Ioh. 15. Vos non estis de mundo Ioh. 1. Mundus cum non cognovit.

XII.

Totus  
Mundus.

Et putidum hoc κενόφροντος explicatio Apostolica planè in fumos dispellit 1. Ioh. 2. v. 2. Christus est propitiatio pro peccatis nostris, Non pro nostris tantum, Sed etiam pro totius mundi. In hoc dicto vis antitheseos demonstrat mun- di vocabulo non designari Electos: In illis enim Iohannes quoq; fuit.

XIII.

Adhæc particula vniuersalis, omnem dubitationem in presenti negocio tollit. Si enim maxime probari posset (quod nequaquam largimur) mundi appellatione alicubi Ele- ctos notari; tamen ijdem non possunt verè appellari totus mundus.

Hoc



XIV.

Hoc doctrinae caput adeo est in Scriptura certum atq;  
immotum, ut Christum in specie pro pereuntibus & damna-  
tioni destinatis passum ac mortuum testetur: Tale est dictum  
huius capituli: Noli cibo perdere fratrem tuum pro quo Chri-  
stus est mortuus. 1. Cor. 8. Et peribit frater infirmus in scien-  
tia tua, pro quo Christus mortuus est.

3.  
Christus  
pro dam-  
natis mor-  
uus.

XV.

Imprimis insignis est locus Apostoli Petri, in secun-  
da Epistola cap. 2. Doctores mendaces introducentes sectas  
perniciosas abnegant Eum, qui eos mercatus est, *Don iuum:*  
De qua mercede hoc sit intelligendum, patet ex 1. Per. 1. Non  
estis redempti corruptilibus auro vel argento, sed precioso  
sanguine agni immaculati & incontaminati Christi.

XVI.

Sed eosdem damnationi aeternae propter summam  
impietatem, blasphemias & avaritiam destinatos esse diserte  
Apostolus docet v. 2. Superinducentes sibi celerem damna-  
tionem. Item, Quorum iudicium olim non cessat, & perditio  
eorum non dormitat. Ex quo immota consequentia concludi-  
mus, Christum sanguine suo etiam eos qui sua culpa damna-  
tionem sibi accersunt redemisse.

XVII.

Præterea pro renatis Christum passum ac mortuum ef-  
se non inficiantur adversarij: Possunt autem qui jam sunt ve-  
rè renati propria impietate regenerationis beneficium excute-  
re & gratia Dei finaliter excidere, ut in capituli vndecimi expli-  
catione est demonstratum, Est igitur Christus mortuus etiam  
pro his, quia sua culpa pereunt.

4.  
Christus  
pro rena-  
tis mortu-  
us.

13. Tolle-



XVIII.

V.

Tolletur quoq; omnis certitudo meriti & satisfactionis Christi, si eam pro paucis tantum præstitam statuamus: Vnde enim constabit hominibus cum tentatione luctantibus peccata sua coram Deo expiata esse, nisi beneficium hoc toti mundo partum est.

XIX.

VI.

*Decretum  
Dei de ho-  
minum  
salute.*

Si præterea consideres decreti divini vim & efficaciam, quo omnes & singulos homines nemine excepto in Christum credere voluit, & in eo, ac per eum fide apprehensum salvare decrevit, manifestum est, meritum & efficaciam passionis & mortis Christi ad singulos & universos mortales se extendere: Neminem enim Deus salvari vult, cujus peccata non sunt per Christum expiata. At omnium hominum salutem desiderat: omnesq; æternum beare, si fide gratiam hanc amplectantur, constituit: Omnes igitur à Christo redempti sint, necesse est.

XX.

*Calviniana  
opinio.*

Ab hac perspicua & immota scripturæ veritate discedunt Calviniani, qui assertionem, Quod Christus pro omnibus hominibus etiam pro reprobis & damnatis passus sit, pro intolerabili blasphemia reputant, eamq; ex Ecclesiæ agro longissimè proscribunt: Sentiunt enim Deum ab æterno tantum paucos absoluto decreto ad æternam salutem creasse & elegisse, & his paucis media salutis consequendæ filium videlicet Iuum Christum, & prædicationem Evangelij de Christo præparasse: Reliquam hominum infinitam multitudinem ad æternam damnationem condidisse, Et ad hos mortis Christi efficaciam nullatenus spectare.

XXI.

Nos hoc dogma Calvinianum tanquam universæ scripturæ adversum in Dei majestatem & Christi meritum blasphemum, consolationi inimicum & consternatis mentibus perniciosum,



niciosum, toto pectore detestamur, idq; nos semper credidisse ac docuisse, ac coram tribunali Iesu Christi profiteri velle aperte asserimus.

XXII.

Contra verò averſamur & reijcimus aliorum deliria, ex *Huberi* universali mortis Christi merito & efficacia extruentium plu- *paradoxa.* rima paradoxa, de justificatione universali supra applicatio- nem, secundum quam omnes homines habeant justiciam, gratiam Dei & remissionem peccatorum, sunt iusti, electi, collocati in sinum gratiæ Dei, sunt gens sancta, & regale Sa- cerdotium, populus Dei electus &c. Hæc monstra opinionum quicunq; non exosculatur, Is scilicet tanquam Calviniana hæresi infectus coram Christiano orbe impudenti calamo & innumeris convicijs proſcinditur. *NB.*

XXIII.

Possunt autem omnes quibus de præſenti quæſtione can- didè judicare est propositum ( quibus calumniari est animus, non moramur) ex præcedenti tractatione liquidò perspicere sententiæ nostræ de mortis Christi merito & efficacia univer- ſali veritatem cum Dei verbo, Concordiæ libro, & Visitatio- nis Saxonici articulis eorumq; declaratione congruentem. Atq; Ecclesiarum orthodoxarum judicia in præſenti negotio minimè defugimus.

XXIV.

Toto corde Calvinianas execramur blasphemias, Quod Deus tantum paucos homines constituerit in Christo, & per Christum salvos facere, Quod plerumq; homines ad damna- tionem creavit, Quod non omnes infantes baptizati regene- rentur, Quod Christo non sint dati omnes homines & singuli ut eos redimeret ac per fidem salvos faceret. Hæc & similia falsa ac blasphema dogmata, dum Huberus nobis & nostris scriptis affingit, contra conscientiam suam mendacia loquitur. *Mendacia Huberiana.*

XXV.

Sed inquit: Si ista creditis, quare non dicitis, omnes ho- mines electos esse? Hoc scilicet calumniator iste volebat: Ve- rum Non de antecedentium, sed de consequentis veritate & consequentiæ ratione quæritur, quam nos viciosam esse liqui- dò alibi ostendimus.



XXVI.

Etsi enim illa omnia vera ac verissima esse dicimus, quæ paulò ante enumeratis Calvinistarum blasphemijs sunt opposita: Tamen inde universalem electionem propriè sic dictam & scripturæ definitioni congruentem concludi posse negamus. Hæc enim cū προγνωσει conjuncta non extendit se pariter ad omnes homines sive credant sive non, Sed ad credentes tantum, quos quia Dominus per Spiritus Sancti operationem credituros in Christum prævidit, ideo in eo ad salutem ab æterno elegit.

Quare  
pauci sint  
electi.

Rom. 8.

et 11.

1. Pet. 1.

2. Thes. 2.

XXVII.

Etsi autem nonnulli orthodoxi scriptores usi sunt phrasi ista electionis universalis, tamen iisdem tantum de voluntatis antecedentis decreto sunt locuti, & electionem particularem propriè sic dictam & sano sensu intellectam non rejecerunt, nec ob eandem alios doctores insolenter condemnarunt, neque Ecclesiam Dei insanis clamoribus & deformi scandalo conturbarunt.

*Soli Deo gloria.*





AB 22 841 (1)

ULB Halle 3  
002 043 793




Sb.

W19


Hilf.











17, 16 15

DISPUTATIO DECIMA SEXTA  
**EX EPISTOLA**  
PAULI AD ROMANOS,  
proponens ἀνάλυσις capitis de-  
cimi quarti.

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia*

**PRÆSIDE DAVIDE**  
**RVNGIO SACRÆ THEO-**  
*logia Doctore & in Academia VViteber-*  
*gensi Professore, in Collegio disputati-*  
*onum Theologicarum privato de-*  
*fendet 20. Augusti,*

**M. SAMUEL VVICHELMAN,**  
Lunebürgensis.



**VVITEBERGAE,**  
*Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.*

